



Pontanus honesto loco apud Saxones natus, & multis egregijs uirtutibus decoratus fuit. Is ab adolescentia liberalibus artibus & eloquentiae operam dedit, & in ijs plurimum profecit. Inde animum ad Iuris studia conuertit, & tantum legum usum acquisiuit, ut suo tempore doctissimis Iure-consultis compararetur. Accedebat ei pietatis studium, innocentia uitae, & naturalis facundia, cum adiuncta prudentia. Id cū elector Saxonie cognosceret, eum ad suam curiam recepit, & inter consiliarios adesse iussit. Huius uiri opera Saxonie duces duces in rebus grauissimis saepius usi fuerunt. Nam res feliciter expedire, & ubique saluam existimationem conseruare solebat. Vnde etiam 1530 in magnis Augustanis comitijs Ioanni electori adfuit, atque ipsius & sociorum nomine ad Cæsaris decretum magno animo respondit. Par ratione 1535, in Smalkaldico cōuentu, regis Galliae legato atque reliquis proceribus rationem foederis suorum principum expousit, & multa cum ijs de uera religione contulit. Tandem etiam 1544 Spire Iohannem Fridericum Saxonie electorem cum rege Ferdinando pro sua prudentia reconciliauit, atque res alias suæ fidei concreditas expediuit. Hac eius dexteritate factum, ut cunctis principibus innotesceret, & in magna passim autoritate esset. Ioan. Sleid,